

ne, aut visione beatifica, sine hoc quod ponatur discursus formalis, et acquisitus, licet possit illo uti, si velit anima Christi per hanc scientiam.

SOLVUNTUR OBJECTA.

XXII. Ex dictis manent soluta, quæ a principio objecta sunt contra hanc sententiam, nam quod attinet ad D. Thomam satis ostendimus stare pro nostra sententia. Et quando dicit per hanc scientiam non cognosci ipsam divinam essentiam, sed per beatam, manifestus sensus est, quod non cognovit per hanc scientiam Deum per essentiam.

XXIII. Ad secundum respondetur non cognosci mysterium Trinitatis per aliquem effectum, qui respiciat ipsam Trinitatem, ut efficientem, quatenus potentia una est. Sed tamen iste effectus sic productus a Deo, quatenus unus est, respicit ipsam Trinitatem quatenus objectum, vel terminus illius est: sicut tota Trinitas efficienter operata est mysteria incarnationis per ipsam omnipotentiam, quatenus est una, et tamen producta est una unio, quæ ad solam Personam Filii terminata est.

XXIV. Et ad replicam respondetur hoc medium cognoscendi non esse extrinsecum, nam de unione hypostatica constat intrinsece esse unionem Personæ, et sic per ejus cognitionem necessario attingit Personam tamquam terminum ejus, sicut per cognitionem unionis animæ, et corporis attingitur quoad an est ipsa anima, et quia non cognovit Christus Dominus unionem solum in communi, et in confuso, sed in individuo, prout facta est ad hanc Personam, debuit etiam non solum in communi, sed in particulari co-

gnoscere ad quam Personam sit terminata.

XXV. Similiter visio beatifica ex sua specie intrinseca, et essentiali respicit tamquam objectum determinatum, et per se specificans Deum ut trinum, et unum, et sic non est medium omnino extrinsecum, cum ab illo objecto pendeat in sua extrinseca specificatione, in quo differt visio beata a testificatione divina testificante hoc mysterium, nam etiam si aliquis evidenter cognoscat dari tale testimonium, adhuc tamen ex vi illius non cognoscit evidenter objectum testificatum, quæ testificatio divina non specificatur formaliter ab objecto testificato; est enim per accidens, et quasi materiale objectum respectu divinæ testificationis, quod revellet hoc, vel illud mysterium: eadem enim specifica revelatione testificatur Deus, quod sit trinus, et quod septem sacramenta, et quod David fuerit rex, et alia similia; unde ex hoc quod cognoscatur evidenter testificatio Dei, solum inferitur, quod cognoscatur objectum illius ut testificatum, non autem absolute in se: visio autem beatifica respicit Trinitatem ut determinatum, et per se specificativum suæ rationis formalis.

XXVI. Et adverte duo. Primum, quod non asserimus Christum cognovisse hoc mysterium per evidentiam in attestante, ut multi asserunt; et videri potest Cabrera hic disp. VI, §. V, licet in §. VIII nostrum modum dicendi secutus fuerit, quia nulla datur revelatio testificationis, quæ rem testificatam illuminet evidenter; licet enim ipsa testificatio possit evidenter esse cognita passive, non tamen potest esse ratio cognoscendi rem testificatam, nisi auctoritative, quia si plus habet, quam auctoritatem non jam erit testificatio, sed infusio alicujus lu-

minis, aut specierum, quibus objectum manifestetur, unde quantumcumque jungatur visioni beatificæ in eodem subjecto, quia tamen nunquam amittit essentialem rationem testimonii, nunquam clare illuminat rem testificatam.

XXVII. Denique semper præ oculis est habendum, quod ita concedatur cognosci evidenter hoc mysterium quoad an est, quod nunquam cognoscatur, quomodo est per hanc scientiam, unde licet cognoscatur, quod sint tres Personæ, et quod sit processio unius ab aliis, non tamen quomodo procedat, et sic attingitur existentia hujus mysterii quasi in actu signato, quod non in actu exercito; sic enim non solum quoad an est attingeretur hoc mysterium, sed intuitive videretur.

ARTICULUS II.

Utrum per hanc scientiam cognoscantur futura contingentia, cogitationes cordium; et quomodo Christus dicatur propheta?

I. Quod per hanc scientiam infusam Christus Dominus futura cognoverit, non magna controversia est apud theologos, sed quomodo ea cognoverit; sed quia aliqui etiam non recusant negare per hanc scientiam Christum Dominum cognovisse futura contingentia, breviter probandum erit, quod supponendum erat. Ratio ergo quare per hanc scientiam cognoscit hæc futura, ea est, quia ut dicit D. Thomas in articulo primo: « Per hanc scientiam cognovit Christus Dominus omnia, quæ quomodolibet per divinam revelationem hominibus innotescunt, sive per donum prophetiæ, sive per donum sapientiæ, sive per aliud quodcumque donum Spiritus sancti: » sed per donum prophetiæ ho-

minibus innotescunt futura contingentia; ergo illa debent cognosci per hanc scientiam a Christo. Consequentia indubitata est, et solum potest negari ab eo, qui alteram ex præmissis negaverit; utraque autem est expressa D. Thomæ. Major quidem propositio habetur hic articulo primo, et minor in secunda secunda, quæst. CLXXI, articulo III.

II. Pro his vero, qui expressas D. Thomæ propositiones negant, minor probatione non indiget, cum constet ex Scriptura prophetas cognovisse, et prænuñtiasse futura contingentia, unde solum potest negari major, quæ sic probatur: Nam hæc scientia infusa ponitur in Christo ad cognoscenda omnia mysteria gratiæ cognitione extra Verbum ita perfecta, quod possit per illam omnes ordines instruere, imo et illuminare Angelos; unde omnia dona gratiæ excellentissime, et supremo modo debuit participare; unum autem ex donis gratiæ est prophetia, per quam non solum Christus Dominus debet cognoscere ea, quæ propheticè revelantur, sed etiam potest discernere inter verum, et falsum prophetam, et de illis judicare: ergo debuit cognoscere futura contingentia, et cordis cogitationes, quia hæc omnia a prophetis possunt attingi.

III. Denique Christus Dominus habuit donum consilii in summa perfectione; maxime autem est perfecta prudentia, et gubernatio, quæ de futuris potest ferre judicium, ut ea præcaveat, aut dirigat; ergo cum in Christo Domino sit suprema gubernatio, et prudentia secundum donum consilii Spiritus sancti, oportet quod per donum consilii perfecte cognoscat futura; et non debet illa cognoscere obscure, et imperfecte, quia hoc non compatitur cum statu perfectissimo animæ Christi; ergo evidenter.

IV. Circa modum autem cognoscendi ista futura, est duplex difficultas satis gravis. Prima, de medio per quod cognoscuntur ista futura, an ut repræsentata in se ipsis immediate; an in alio, ut in causa, vel effectu; secunda, an cognoscantur hæc futura intuitive, vel abstractivè. Quod si intuitive, an in propria mensura; an in superiori, in qua continentur, scilicet indeterminate.

V. Ad primam difficultatem, plerique recurrunt ad evidentiam in attestante, seu revelationem divinam, in qua dicunt cognosci hæc futura. Quem modum dicendi prosequitur Suarez hic disp. xxvii, sect. ii, nec displicet patri Lorca hic disp. i, num. xiii, et Cabrera disp. iii, conclusione secunda. Non enim apparet quomodo determinatio voluntatis divinæ cognosci possit, nisi per revelationem. Non potest autem aliquid cognosci, ut futurum, nisi cognita determinatione divinæ voluntatis a qua totaliter futuritio pendet.

VI. Cæterum in hoc modo dicendi, illud semper est difficile, quod in præcedenti articulo jam diximus, quia vel ista revelatio evidens tollit obscuritatem infundendo aliquod lumen, et species per quas clare repræsentetur objectum, vel nullas species, et lumen infundit, sed ipsa revelatio est ratio cognoscendi rem revelatam. Si primo modo, non est ipsa revelatio ratio formalis cognoscendi, sed ipsa infusio luminis, seu specierum, quæ est revelatio activa. In hoc sensu non loquimur de revelatione hic, sic enim revelatio activa communis est omni infusioni supernaturali producenti lumen, vel species repræsentativas objecti.

VII. Si secundo modo, scilicet, quod revelatio sit ratio formalis cognoscendi non mediante alio lumine, vel speciebus, sed ipsa revelatio est, quæ habet rationem luminis, et

medii, sequitur quod solum se habeat, ut testimonium loquentis; nec enim aliter revelatio est formalis ratio cognoscendi rem revelatam, nisi quatenus dicit, et testificatur illam, supposito quod nullum aliud lumen aut repræsentationem infundit; et hoc est habere se solum, ut testimonium rei revelatæ. Testimonium autem non potest evidenter rem testificatam manifestare, sed solum auctoritative, et in vi ipsius loquentis, licet ipsa testificatio evidenter sit cognita, quod sit a tali attestante, quod est revelationem ipsam esse manifestam, non tamen esse rationem manifestandi clare, et evidenter rem testificatam. Et licet possit colligi per discursum, quod si est evidens hanc testificationem esse a Deo, et consequenter rem testificatam ita esse, quia Deus falli non potest, tamen iste discursus cum assumat pro principio, quod testificatio ista est a Deo, et hæc testificatio licet in se passive sit clare cognita, tamen ipsam rem testificatam attingit obscure, in vi auctoritatis tantum, oportet fateri in Christo fuisse revelationem aliquam obscure repræsentantem rem testificatam, licet per alium discursum ab illa revelatione distinctum fiat evidens consequentia circa rem testificatam. Est autem magnum inconveniens ponere in Christo revelationem obscuram respectu rei revelatæ, etiam si illa ponatur ut principium ad discurrendum circa tale objectum per evidentem consequentiam, præterquam quod illa consequentia ex evidentiâ testificatione deducta non constat, quod tollat obscuritatem fidei, quia non facit evidentiam rei, ut res est, sed ut testificata, ut in materia de fide ex Cajetano diximus.

VIII. Alius ergo modus dicendi est domini Cajetani hic articulo primo ad secundum dubium, quod cogno-

scuntur hæc futura per species proprias repræsentantes illa; sed statim occurrit difficultas, quia vel ista species repræsentat tantum naturam, et quidditatem objecti, vel etiam futuritionem ipsam; et primum non sufficit, quia hic non inquirimus de specie repræsentante quidditatem, sed de specie repræsentante futurum: secundum autem repræsentari non potest, quia vel repræsentatur futuritio in ipsa re in se ipsa, vel in sua causa. In se ipsa repræsentari non potest, cum in se ipsa sit contingens, et indeterminata ad existendum: in causa sua repræsentari non potest, quia omnis causa proxima contingenter, et indeterminate hoc futurum continet: causa autem divina a qua pendet futuritio, et in qua continetur determinate, non potest repræsentari per aliquam speciem creatam, nec tale futurum potest videri in propria mensura, cum in illa nondum sit; nec in mensura æternitatis, cum species creata non possit æternitatem repræsentare: ergo nullo modo potest videri futuritio per repræsentationem speciei.

IX. Nihilominus sustinenda est opinio domini Cajetani, et dicendum est posse dari speciem repræsentantem futurum, etiam quantum ad rationem futuritionis, quæ non repræsentatur, nisi per habitudinem ad concursum Dei ad extra, qui dabitur in tali tempore, in quo illud futurum producet, et probatur hoc: Quia tam res, quam sua futuritio est aliquid creatum; ergo repræsentabile est per aliquam speciem creatam; implicat enim, quod aliquid ens, eo modo quo est ens, non sit cognoscibile, et consequenter repræsentabile intentionaliter: sed futuritio illa in ordine ad aliquam causam etiam divinam determinata est, et in quantum sic determinata adhuc est aliquid creatum,

si quidem est determinatum a Deo tamquam producendum ab ipso; ergo ut sic est repræsentabile per aliquam speciem creatam.

X. Et confirmatur, quia futuritio rei, ut conjecturabilis, et probabilis, scilicet, per ordinem ad causas proximas contingentes cognoscibilis, et repræsentabilis est; ergo etiam futuritio in ordine ad causam infalibilem repræsentabilis erit; bene enim potest repræsentari aliqua relatio creaturæ ad Deum, etiam si non attingatur ipse Deus in se, ut patet in cognitione creaturæ existentis, et actu dependentis a Deo, quæ dependentia attingitur ab Angelo cognoscente creaturam esse effectum, sine hoc quod attingatur ipse Deus in se: ergo similiter potest dari aliqua species repræsentans dependentiam futuram alicujus rei a concursu divino, repræsentando etiam ipsum divinum concursum ad extra, per quem talis res producet in esse, sine hoc quod repræsentetur ipse Deus in se.

XI. Dices: Etiam ipse concursus Dei est futurus, et ipsa prædeterminatione physica causæ in qua continetur futurum illud contingens, est aliquid futurum: ergo non poterit repræsentari per aliquam speciem determinate, et certo; aut si potest, idem dicendum erit de ipsa re futura, quæ repræsentabitur per ipsam sine ordine ad concursum divinum tamquam futura.

XII. Respondetur esse disparem rationem de concursu divino, seu prædeterminatione, atque de ipsa re futura, quia prædeterminatio ipsa et concursus, licet sint aliquid ad extra, non tamen sunt aliquid indeterminate, et contingens, cum potius ad hoc dentur a Deo, ut tollant indeterminationem, et suspensionem causæ contingentis creatæ, unde non currit in illis ratio, quæ in ipsis effectibus futuris, quia non

habent indeterminationem, et contingentiam, quam illi, et ita sunt in se repræsentabiles, etiam ut futuri, quia repræsentari possunt secundum quod dabuntur a Deo pro tali tempore, et cum connotatione ad illud tempus repræsentari possunt, cum totum hoc sit aliquid creatum, et consequenter aliqua species propria illi potest correspondere. At vero res ipsa futura sine ordine ad talem concursum, vel prædeterminationem repræsentari non potest, ut futura determinate, quia in se solum habet indeterminationem, et contingentiam; determinate autem concipitur per ordinem ad talem causam determinantem, quæ est Deus.

XIII. Instabis: Nam modo in speciebus angelicis reperitur hujusmodi repræsentatio, et tamen non cognoscunt futura contingentia, ut cum D. Thoma 1 part. quæst. LVII, docent theologi; ergo non sufficienter explicatur per hoc cognitio futurorum in Christo. Major probatur, quia species Angeli repræsentant res, ut dependentes a divino concursu quando existunt; ergo habent speciem divini concursus circa talem rem, non de novo infusam quando illa producitur; ergo a principio habitam, et consequenter per illam poterant cognoscere futurum. Respondetur, quod species Angelorum non repræsentant concursum divinum determinate quousque effectus ipse ponatur in re, quia solum repræsentant res prout sunt partes universi; neque enim est debitum ipsis quod extra universum est; unde quando futurum non spectat ad hoc universum, quia nondum est productum, non debetur Angelis repræsentatio talis futuri, nisi prout continetur in sua causa creata, quæ causa pertinet ad universum; unde neque debetur Angelo species repræsentans concursum divinum in se

ipso, prout bescenbita Deo, et eorsum a concursu aliarum causarum, sed prout est aliquid conjunctum, et requisitum ad hoc, ut causæ naturales causent, quia Angelo solum debetur naturaliter cognitio rerum naturalium, et mediantibus illis cognoscit Deum, vel concursum divinum requisitum ad causationem talium causarum naturalium: unde quamdiu causæ naturales sunt indifferentes, non cognoscit concursum divinum nisi in quadam indifferentia, quia sic debetur illis causis pro illo statu. Cognoscere autem divinum concursum prout descendit a Deo, et determinate datur ad tollendam indifferentiam causæ inferioris, excedit debitum naturale, et solum pertinet ad speciem supernaturaliter infusam, quia non cognoscit talem concursum prout tenet se ex parte causæ naturalis, sed prout descendit a Deo.

XIV. Ad fundamentum oppositæ sententiæ respondetur speciem illam repræsentare posse durationem ei futuræ determinatam, et non solum sub indifferentia, et contingentia, quia repræsentat illam, ut determinatur a concursu divino tollente indifferentiam, et indeterminationem. Nec verum est speciem creatam non posse repræsentare aliquem effectum creatum in ordine ad causam increatam, quia licet causa increata non sit repræsentabilis in se absolute, est tamen repræsentabilis ordo effectus ad illam, et concursus, ac prædeterminatio ejus, quæ sunt aliquid extra illam, et in illius repræsentatione determinata futuritio rei contingentis cognoscetur: ipsa autem prædeterminatio, et concursus immediate in se possunt repræsentari, quia dicunt determinationem rei contingentis; non autem manent sub indifferentia indeterminationis sicut res futuræ, si in se ipsis considerentur.

XV. Circa secundam difficultatem, scilicet, an ista scientia de futuris sit dicenda intuitiva, vel abstractiva, est advertendum, quod ista difficultas potest oriri ex duplici capite. Primo, ex diversitate sententiarum circa notitiam intuitivam, dum quidam existimant, ad notitiam intuitivam non sufficere, quod cognitio attingat existentiam rei, ut objective cognitam; sed requiri, quod existentia rei sit coexistens mensuræ cognitionis; ita quod existentia physica rei cognitæ, et existentia cognitionis simul sint. Alii vero existimant sufficere ad notitiam intuitivam, quod cognitio respiciat existentiam rei objective, non autem secundum physicam coexistentiam. De hac autem controversia hic agendum non est, quia non est hujus loci; sed si hæc sententia vera est, præsens quæstio caret difficultate, si quidem hoc ipso, quod scientia infusa evidenter attingit durationem, seu existentiam rei, sub ratione existentie sibi objective præsentis, erit cognitio intuitiva, quia respicit pro objecto, non quidem rei essentiam, et naturam, prout abstrahit ab omni existentia, et terminat simplicem cognitionem; sed ut concernit existentiam, et durationem, et sic habet objectum intuitionis, quod est existentia rei. In qua sententia communiter dicendum est, quod intuitiva, et abstractiva cognitio differunt specie in ratione cognitionis, quia differunt ex parte objecti specificantis: una habet pro objecto quidditatem; alia existentiam; non autem differunt penes aliquid accidentale, scilicet penes coexistentiam physicam, quæ est aliquid extra genus cognitionis, et pertinens ad genus entitativum.

XVI. In prima ergo sententia, solum potest præsens quæstio habere difficultatem; est autem hæc sententia conformior D. Thomæ, quia

ut dicit in quæstione tertia de veritate, art. III ad octavum: « Notitia simplex dicitur ad excludendum admixtionem ejus, quod est extra genus notitiæ, sicut est existentia rerum, quam addit scientia visionis, vel ordo voluntatis ad res scitas, quem addit scientia approbationis. » Si autem intuitiva cognitio differret ab abstractiva penes diversum objectum, scilicet, quia una respicit existentiam, alia quidditatem, non diceret D. Thomas, quod visio addit supra simplicem cognitionem aliquid extra genus notitiæ, sed aliquid intra genus notitiæ, quia ea quæ differunt penes diversum objectum, differunt penes diversam rationem intra genus notitiæ.

XVII. In hac ergo sententia oritur difficultas, ex eo quod futurum solum potest habere duplicem mensuram suæ durationis, scilicet, propriam in qua solum existit quando producitur, non quando futurum est, et alienam sibi supereminentem, in qua omnia futura, et præsentia immutabiliter existunt, scilicet æternitatem divinam. Non est autem difficultas, quod si res futura solum cognoscatur secundum coexistentiam suæ propriæ mensuræ, non potest intuitive videri per scientiam infusam, quia secundum hanc durationem propriam mensuræ non coexistit cognitioni præsentis physice, unde supposito quod intuitiva cognitio postulat coexistentiam physicam sui objecti, nullo modo stare potest, quod futurum ut futurum est in propria mensura intuitive attingatur.

XVIII. Respectu ergo mensuræ superioris, difficultas est, an possit dari intuitiva visio futurorum, secundum quod in illa mensura superiori existunt, et sic coexistunt cognitioni præsentis, quæ datur de talibus futuris per species exemplatas a Deo, et ab existentia rerum in sua